

1379 citatem, omnibus fere dare nomina recusantibus, idque in Patrum invidiam, qui Victorem Pisanum, virum omnibus charissimum, in vincula conjecerant. Portum ad hæc obstruunt in hunc modum. Statuunt primo utrinque castella duo lignea ex crassissima materia; sunt qui per id tempus ea quæ hodie ibidem cementicia spectamus, condita fuisse tradant: utrumque latus telorum multitudine muniunt: tormenta bellica ad propulsandum procul hostem imis partibus subjiciunt: triplicem inde catenam sandonibus durissimis (ita enim incompta quædam navigia appellant) insertam, quorum singuli binis fundati anchoris, ne æstu pelagi citro ultroque meantis agerentur, ferreas cuspides in ostium prætentas habebant. Validum ad hæc præsidium læva dextraque firmatum: tres onerariæ naves catenis appositæ, quæ tenacibus vinculis connessæ, atque instratis superne cratibus, inexpugnabilis valli speciem præbuere. Ad Nicolai fanum quod in littore est, profunda fossa a mari ad internas aquas ducta est, valiumque impositum ad arcendos hostium incursus, qui ex Medoacensi ora fieri potuissent. Erigunt ad hæc circa Medoacum castellum munitissimum cum duabus tectis navi bus, validoque prædio, ne hostes in stagna cum periculo urbis irrumperent. Imperium copiarum omnium, quæ hic fuere, Caballo Veronensi datum. Atque ita clausis portibus, Thaddæus Justinianus classis præfectus nunc extra munitiones ipsas, nunc citra stationem habebat. Stabant pleræque aliæ naves ad opportunos casus paratae cum multorum dierum commeatu, signum expectantes, si qua occurrentum hosti fuisse. Genuenses nec ipsi in tanta gerenda rei occasione cessarunt: sed octo & quadraginta triremibus, aliisque brevioribus navigiis, Petro Aurio præfecto, Jadera solventes, postridie Nonas Augusti urbem prætervecti, Clodiaccum portum subito tumultu tenuere: quo infesso, classis ad urbem admota est. Carrarius Princeps, qui de adventu Genuensium jam antea ut belli socius resciverat, atque ad hoc ipsum & copias & naves comparaverat, auditio Genuensium accessu, & quæ juxta Clo-